

6. In Congregationibus pertractata et conclusa Negotia de praescripto praecitati Articuli ad Protocollum per Notarium fideliter referuntur; Cujusmodi Protocollum modo praescripto ante dissolutionem Congregationis palam et publice perlegetur, sicque approbatum Fidedignitatem sorciatur, conclusa extra Congregationem per Neminem mutabuntur, quin potius per eos, quibus incumbit, exacte effectuantur.

7. Sub initium Cujusvis Congregationis investigabitur primum et ante omnia, an ea, quae in priori Congregatione conclusa et effectuari commissa fuerunt, rite in Effectum deducta sint, vel non? et si hac ratione defectus quospiam intervenisse cognitum fuerit, illi tollantur, et porro quoque Effectuationi etiam cum suspensione pro rei exigentia ab Officio insistatur.

8. In singulo Comitatu erga Candidationem Supremi Comitatus constituatur unus Perceptor, Qualitatibus de Lege requisitis praeditus, et circa Incassationem, administrationemque Contributionis, aliarumque repartitarum necessariorum Impositarum pro hic et nunc, usque videlicet ulteriorem Clementissimam Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Dispositionem sequens observabitur Manipulatio: ut Status et Ordines regnicolariter congregati, modo hactenus usitato deinceps etiam repartitionem Quanti Contributionalis et pro domesticis Necessitatibus, utpote Salarijs tam Regni, quam et Comitatum Officialium, ac Servitorum, alijsque extraordinarijs Erogationibus deservientis Impositae ad Loca Individualia instituant, hanc sub authentico Supremo Cujusvis Comitatus, in quantum hunc tangit, Comiti extradant; Ille vero in Congregatione Comitatus modo praevio constituto Perceptor consignet, qui Secundum illam in exactione et Perceptione diligenter non minus, quam fideliter progrediatur, Summamque perceptam, detractis praeviae Officialium Comitatus, prouti et Servitorum Salarijs, ac ijs etiam sumptibus, qui in Usus Comitatus secundum ejus Determinationem necessario erogari debuerant, Generali Regni exactori erga Quietantiam administret: Rationes porro quotannis ipsi Comitatu rite confectas exhibeat, per hunc debite censurandas, ac etiam pro Super-Revisione ad Statuum et Ordinum Regni Congregationem referendas. Exactor autem Regni Cassae sibi concredita fidelem Curam gerat, Pecunias non secus, quam juxta Regnicolares Determinationes erogat, ac pariter omni anno de Officiolatu Suo Rationes antelatis Statibus et Ordinibus Regni exhibeat.

9. Curae erit Supremis Comitibus et Magistratibus insuper et id, ut omnes Ignobiles cujusvis sortis, Status et Conditionis, Nemine prorsus excepto, absque cujusvis respectu justae et aequae Contributioni praestandae reipsa obnoxientur; Ac praeterea

10. Ut Subditi, Contribuensque Plebs adversus Saevitiem et Oppressionem Dominorum Terrestrium conformitate Articulorum 101. 1715 et 18. 1723 manuteneatur, protegaturque: Urbariorum interimalis Regulatio Suprema Caesareo-Regia Potestate praescripta exacte observetur, neque ullo modo admittatur, ut Excessus et Abusus in tractandis Subditis, illi qui ex benigna Caesareo-Regia Resolutione sublatis et cassatis sunt, denuo inducantur et perpetrentur, sicque Subditi graventur: In horum vero Transgressores et Excedentes Actione Fiscali mediante procedatur, ac comperta Realitate, absque Personarum respectu irre-